



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Decima Post Trinitatis, Evangelivm, Luc. XIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

DOMINICA DECIMA  
POST TRINITATIS,  
EVANGELIUM,  
LUC. XIX.

**E**T ut appropinquauit, uidens ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia uenient dies super te, & circumdabunt te inimici tui uallo, & circumcingent te, & coangustabunt te undique, & solo æquabunt te, & filios tuos in te. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuæ.

Et ingressus in templum, coepit eijcere uendentes & ementes in illo, dicens illis: Scriptum est: Domus mea, domus orationis est, Vos autem fecistis illam speluncam Latronum. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem Sacerdotum, & Scribæ, & Primores plebis, quærebant illum perdere,

A  
POST TRINITATIS. 60.

dere, & non inueniebant quid facerent. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

QUATVOR. SVNT LOCI.

PRIMVS LOCVS.

**P**RÆcipuus locus est comminatio pœnarum, quæ omnibus hostibus, & contemptoribus Euangelij impendēt. Hic conferantur ab initio mundi horribilia exempla, quibus Deus iram suam aduersus peccatum declarauit. Et uicissim consideretur altissima securitas humanarum mentium, quæ tam horribilibus exemplis nihil mouetur, pœna Adæ, diluuiio, conflagratione Sodome, Pharaonis exitio, dissipatione regni Israel, crebris excidijs Ierosolymæ, euersione omnium Monarchiarum, & omnium magnarum urbium.

Horum exemplorum cogitatione excitemus animos, & recordemur, quàm fœdè trucidati sint homines, necati infantes & senes, mulieres contumelia affectæ & occisæ, quoties etiam fame perierit multitudo. quoties in obsidionibus decimate sint legiones in cibum, cum exercitus humanis carnibus uesceretur. Tanta autem cœcitas est, ut hæc putentur casu accidere. Sicut hic inquit Christus: Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

h iij Et

## DOMINICA DECIMA

Et Ieremias increpat eos, qui negant Dei consilio accidere pœnas, Threnorum 3. Quis est, qui dicit hæc fieri, Domino non iubente? Et Sophoniæ 1. Visitabo defixos in fecibus suis, qui dicunt, nec bene nec male faciet Dominus. Hanc cœcitatem agnoscamus. & corrigamus. & cogitemus nobis etiam impendere pœnas, & quidem iudicium à domo Dei incipit.

### SECUNDVS LOCVS.

**D**olor & lachrymæ Christi sunt testimonium ueri & non simulati amoris erga nos. Sed humana cœcitas cum iram propositis tam terribilibus exemplis negligat, multo minus agnoscit amorem Dei. Sed eluctemur ex tantis tenebris, & utrunque agnoscamus, & inter erumnas diligere nos statuamus, quia punit, non ut perdat, sed ut reuocet ad pœnitentiam, uel exerceat. sicut inquit: *Viuo ego, nolo mortem peccatoris &c.*

### TERTIVS LOCVS.

**C**hristus eicit ementes & uedentes ex templo. Præcipuum peccatum est idolatria, sed hæc ubicunque regnat, ibi necesse est sequi horrenda scelera, libidines, & tyrannides, cum talis status uere sit regnum Diaboli. Sicut ex  
empla

## POST TRINITATIS. 61.

empla omnium gentium testantur, ubi aucta & cumulata idolatria, secuta sunt inmanissima scelera, foedissima libidines, ut in Ægypto, Syria, Graecia, & inde extiterunt bella, & mutationes exitiales.

Sed queritur. cum Christus eiecerit ementes & uendentes, an liceat alijs concionatoribus uellere idolatricos sacrificulos? Respondeo: Christus eiecit motu singulari, sicut Petrus Ananiam occidit, non est stipatus cohorte, non nititur praesidijs humanis. Quicquid autem fit tali motu diuino seu Heroico, Dei opus est. Significatum est autem, & postremis temporibus regnatos esse in Ecclesia tales mercatores opum & dignitatum ecclesiasticarum, qui eicientur e regno suo diuinitus, & propter quos mundus dabit poenas impiorum cultuum.

### QUARTVS LOCVS.

**D**omus mea domus orationis est. In hoc dicto breuiter & significanter totum regimen Ecclesiasticum, & uerus cultus describitur. Nam cum nominat orationem, correlatiue addenda est doctrina Euangelij Nam sine promissionibus, & fide, nulla existit oratio. Et constituatur Antithesis. Vos putatis hanc domum conditam esse sacrificiorum causa, ad augendas opes uestras, & utrunque deprauatis, regimen & cultum.

b v tum.

## DOMINICA DECIMA

tum. uobis queritis opes & regnum, & sacrificia putatis esse cultum. Ego contra clamito, regimen esse recte docere, & unicum cultum & proprium, in fide, & bona conscientia inuocare Deum. Iam ut hæc publicè de domo Dei & ministerio dicuntur, ita unusquisque ad seipsum transferat. Singuli sciamus nos esse domum Dei. Sic autem erimus domus, cum in nobis sonabit uera doctrina, & inuocatio in fide, & bona conscientia. Et hortetur nos hoc dictum ad inuocandum & orandum, quia testatur hunc esse proprium cultum populi Dei, & domus Dei, quem Deus maxime flagitet.

## DOMINICA VNDECIMA POST TRINITATIS, EVANGELIUM, Luc. XVIII.

**D**ixit autem & ad quosdam, qui in seipso confidebant. quod essent iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri homines